

CASUS DE SIGILLO CONFSSIONIS

SCILICET

De obligatione sigilli; de usu notitiæ in confessione acceptæ; de variis modis sigillum violandi.

CASUS I.

OBLIGATIO SIGILLI.

1° **FULBERIUS**, Confessarius, vir loquax et parum discretus, facile cum aliis, præsertim Sacerdotibus, sermonem habet de rebus in confessione auditis, nec ullo cohibetur scrupulo, quia summopere cavet ne pœnitentem ullum nominatim prodat. Evenit tamen, nec raro, ut audientes in pœnitentium cognitionem deveniant.

2° **LAURENTIUS**, olim **PONTII** famulus, huic centum francos subriperat. Cum non haberet unde redderet, Confessarium rogavit ut vellet, etiam eo nominato, obtinere a **PONTIO** debiti condonationem. Remisit quidem debitum **PONTIUS**; sed pluribus aliis id manifestavit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam sit obligatio sigilli confessionis?*

2° *An in ea detur materiæ parvitas?*

3° *An liceat uti opinione probabili in materia sigilli, seu quando probabiliter abest revelationis periculum?*

4° *An FULBERIUS graviter sigillum violaverit in primo casu?*

5° *An PONTIUS peccatum grave commiserit contra sigillum confessionis, furtum LAURENTII manifestando?*

SOLUTIO :

748. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Datur strictissima obligatio sub gravi servandi sigillum confessionis, ut constat ex jure naturali, divino, positivo et ecclesiastico; 2° hæc obligatio in omni casu urget, ita ut in nullo casu possibili liceat revelare quidquam in confessione auditum. *S. Lig. n. 634.*

749. — *R. ad 2^m Quæst.* Nulla datur materiæ parvitas in revelatione directa, quia materia etiam levissima in se, si revelaretur, maximum totius legis periculum induceret. *V. Comp. n. 447-649. — V. S. Lig. n. 635.*

R. ad 3^m Quæst. Neg. Ratio est, quia hic non agitur tantum de licito vel illicito, sed de removendo quolibet periculo offensionis fidelium et injuriæ Sacramenti. *S. Lig. n. 633. V. Comp. n. 650.*

750. — *R. ad 4^m Quæst. Affirm.*, quia ratio agendi **FULBERII** inducit, licet indirecte, proximum periculum revelationis. Nec excusatur **FULBERIUS** ex eo quod neminem nominatim prodat, quia datur revelatio sigilli quoties, ex dictis, proximus in cognitionem pœnitentis venire potest.

751. — *R. ad 5^m Quæst. Affirm.*, si noverit **PONTIUS** rem sibi manifestari a proprio famuli Confessario, ex obtenta illius facultate. Sic *S. Antoninus, part. 3, tit. 17, c. 22, § 2*, ubi ait : « Ad celandam confessionem « tenetur is ad quem confessio pervenit licite vel illicite, mediate vel « immediate... Item ille cui de licentia pœnitentis Confessarius revelat. » Consentit *D. Thomas*, qui rationem de hoc reddit, quia, ait, *participat aliquo modo actum Sacerdotis. Suppl. ad 3^m partem, quæst. 11, art. 3.*

NOTA. Inauditum fere est sigillum confessionis directe violatum fuisse, etiam a Sacerdotibus impiis, apostatis vel amentibus, ut unanimes asserunt Theologi, quod sane non nisi specialissimæ Dei Providentiæ tribuendum est (1). Sed non adeo infrequens est revelatio indirecta, quæ ex imprudentia Confessarii sequitur. Cavere igitur summopere debet Confessarius, ne quidpiam dicat unquam ex quo gravamen pœnitentibus induci queat.

CASUS II.

USUS EXTERNUS NOTITIÆ CONFSSIONIS 1°.

1° **CHRISTOPHORUS**, Sacerdos, in minori seminario seu collegio Confessarius, notitia in confessione habita utitur, ut occurrentibus extra confessionem pœnitentibus magis blandiatur, et sic ipsis animum faciat, necnon ut Superiores seu domus Præpositos admoveat de majori vigilantia et sollicitudine generatim habenda, imprimis in tali loco et tempore determinato.

2° **SATURNINUS**, Episcopus, firmiter intra se statuerat proponere **NEMESIUM** pro cura notabili animarum. Sed, audita casu ejus confessione, reperit eum esse indignum atque moribus corruptum, et ad corruptionem proclivem. Hinc consilium mutat ad impediendam ruinam spiritualem plurimum, et ipsius **NEMESI** æternam damnationem.

HINC :

QUÆR. 1° *An liceat uti notitia confessionis ad externam directionem, vel gubernationem?*

2° *An liceat dicere esse invigilandum?*

3° *Quid in specie ad singulos casus?*

SOLUTIO :

752. — *R. ad 1^m Quæst. Neg.*, quia hoc in odium Sacramenti et in gravamen pœnitentis cederet. Constat etiam ex variis Decretis *S. Sedis. V. Comp. n. 670-671.*

(1) « Les révélations directes sont tellement rares, qu'on peut dire qu'on n'en voit « jamais. On a vu des prêtres apostats, et, par un effet de la protection spéciale de « Dieu sur son Eglise, ces prêtres ont respecté le sceau de la confession; on en voit en « démence, et, dans leur délire, il ne leur échappe jamais rien qui puisse compromettre « le secret sacramentel. » *Goussel, n. 515.*

753. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o Confessarius minime potest dicere esse invigilandum in tali loco vel tempore, quia ex hoc evidens pœnitentis sequeretur gravamen. *Controvertitur* autem an dicere possit *in genere* Superioribus vel Præpositis: *Vigilate*. Refert *S. Lig. n. 657*, plures qui ita sentiunt cum D. Thoma, sed nullam ipse sententiam profert. Hinc in praxi tutius est ut omnino sileat, perinde ac si nihil prorsus in confessione audivisset. Attamen posset Confessarius, si ipse curam invigilandi habeat, uti notitia confessionis, secluso tamen periculo revelationis vel gravaminis pœnitentis, ad se cautiorem seu vigilantiorē reddendum, quia semper potest proprios defectus emendare, quando ad eos advertit. *S. Lig. n. 657*.

754. — *R. ad 3^m Quæ.* 1^o CHRISTOPHORUS violavit *indirecte* sigillum confessionis declarando Superioribus vel Præpositis, specialiter invigilandum esse in tali loco et tempore determinato. Non potest autem stricte damnari ex eo quod dixerit tantum modo generali, sollicitudinem in vigilantia habendam esse, quamvis magis expediat ut omnino taceat. Satagere autem bene potest ut se magis amœnum erga pœnitentes ostendat, ut iis animum faciat, eorumque fiduciam in se conciliet. Ratio est, quia nulla est in hoc revelatio confessionis, ut patet, neque gravamen pœnitentium. *S. Lig. n. 657*.

2^o SATURNINUS, Episcopus, non potuit uti notitia ex confessione habita in externa gubernatione, ad indignum Sacerdotem a munere amovendum. Sed debuisset mentem suam ipsi in confessione aperire, et eum inducere ad renuntiandum prædicto muneri, et quidem sub pœna denegandæ absolutionis. Non datur quidem in hoc violatio propria sigilli, cum Episcopus consilium suum nemini manifestaverit, sed adest gravamen pœnitentis, et odium Sacramenti, ut patentissimum est. *S. Lig. n. 657, etc.*

CASUS III.

USUS EXTERNUS NOTITIE CONFSSIONIS 2^o.

CAMILLUS, Parochus, ancillæ suæ BERTINÆ periculose ægrotantis confessionem excipiens, comperit eam esse ex delicto gravidam. Obstupefactus et dolens, hæret dubius et anceps, nesciens quid consilii sit capessendum urgente tantæ infamiæ periculo. Intricatissimi hujus casus solutionem in aliam diem differt, donec fiat lux. Interea vero BERTINA melius se habet. Lux affulget CAMILLO. Paucis post diebus, posito prætextu infirmæ valetudinis, eam dimittere festinat. Subinde, cum ROSINAM in ancillam admittere intra se statuisset, audita ejus confessione, novit eam nuperrime fuisse seductam; ideoque, invisā doctus experientia, statim a proposito recedit, ne casus ancillæ dimissæ recurrat.

HINC :

- QUÆR. 1^o An CAMILLUS peccaverit, BERTINAM dimittendo?
2^o An etiam ROSINAM non requirendo?

SOLUTIO :

755. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirm.*, quia egit ex notitia confessionis contra pœnitentem, seu cum ejus notabili gravamine. Potest quidem ipse ancillæ imperare in confessione ut discedat, ad propriam infamiam vitandam et scandalum ingens arcendum, et quidem sub comminatione absolutionis ipsi denegandæ, nisi velit exire, aut licentiam externe agendi sibi concedere. Quod si recuset, nihil Parocho faciendum est, nisi ut divinæ Providentiæ se commendet.

756. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirm.* Hic enim recurrit idem casus modo jam solutus. Proinde Confessarius externe agere debet perinde ac si nihil sciret. Sed potest pœnitenti propositum manifestare, et eam inducere ut sibi permittat mentem suam mutare; imo eandem ad id sub pœna denegandæ absolutionis obligare, ut in primo casu jam dictum est.

CASUS IV.

USUS EXTERNUS CONFSSIONIS 3^o.

UGOLINUS, Sacerdos, ADRIANÆ puellæ jamjam morituræ confessionem excipiens, rescit eam esse prægnantem. Eam adhortatur bonus Pastor ad statum suum, sive medico, sive mulieri prudenti, aperiendum, ut saluti foetus prospici queat. Sed surdæ canit ille. Periculum infamiæ reformidans ADRIANA, protestatur hoc nulli mortalium se esse declaraturam. Miseram frustra adhortatam mœrens Sacerdos non absolutam relinquit, velut indispositam. Paulo post ADRIANA animam efflat, et cum foetu non baptizato tumulatur.

HINC :

- QUÆR. 1^o An UGOLINUS recte egerit absolutionem ADRIANÆ denegando, necne?
2^o An potuisset procurare ut per prudentem matronam, vel medicum aperiretur latus puellæ defunctæ ut infans baptizaretur?
3^o An saltem potuisset, si rem sub secreto naturali, non vero confessionis, novisset?

SOLUTIO :

757. — *R. ad 1^m Quæ.* Solutio pendet a variis circumstantiis. Etenim vel spes probabilis de Baptismo foetus procurando affulgebat, quia v. g. jam mater partui propinqua erat, vel nulla aut exigua, quia a paucis mensibus conceperat. Si prius, ADRIANA obligari potuit et debuit, *per se*, ad rem alicui matronæ prudenti manifestandam; secus vero *in posteriori casu*, quia non tenebatur puella crimen manifestare cum tanta infamia, non affulgente spe, saltem probabilis, ut proles baptizari posset. Dixi *per se*, quia, etiam stante certa obligatione ex parte mulieris rem exterius manifestandi, non semper hæc obligatio ipsi declaranda foret, nempe si prævideretur eam admonitioni obtemperaturam non esse. Tunc enim satis erit

si Confessarius pœnitentem enixe adhortetur ut secretum suum mulieri prudenti prodat, quin ad id sub pœna denegandæ absolutionis urgeatur, ne mater simul cum prole in æternum pereat. *Elbel, n. 483.*

758. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.* Ratio patet ex dictis incasibus præcedentibus, scilicet, quia in hac hypothesi, usus externus notitiæ ex confessione habitæ est prorsus illicitus, quando odium Sacramenti, ut in casu, inducere potest.

759. — *R. ad 3^m Quæst.* Confessarius potuisset, defuncta ADRIANA, admonere prudentem mulierem, v. g. obstetricem, ut Baptismo infantis provideretur, quia res ei manifestata fuisset extra omnem confessionem, et ratio procurandi salutem prolis ab obligatione servandi secreti eum eximeret. Nec refert quod secretum commissum fuerit quasi in confessione, quia obligatio sigilli inhæret *soli confessioni sacramentali*, siquidem non pendet ab arbitrio hominis, sed ex institutione Christi, qui eam soli confessioni sacramentali adnexuit. Prudentius autem in simili casu ageret Confessarius, scriptum a puella requirendo, si fieri posset, ne de sigilli violatione accusetur.

CASUS V.

QUID MISSIONARIUS DE SIGILLO 1^o?

ALBERICUS, Missionarius, cum primum ad missionis locum vel collegium vel conventum, ubi exercitia spiritualia est traditurus pervenit, nihil antiquius habet quam ad confessiones audiendas statim convolare, ut agnoscat inde quomodo in instruendo sese dirigere possit; *quia*, inquit, *Missionarius confessiones non audiens, non est nisi cymbalum tinniens, aerem verberans, et practice prædicare nequit.*

Hinc, si quando ab audiendis confessionibus fuerit impeditus, diligenter a socio suo, Confessario, exquirat quibusnam in punctis magis sit insistendum.

HINC :

QUÆR. 1^o *An notitia confessionis uti liceat ad concionandum?*

2^o *An Missionarius petere possit a socio in quibusnam capitibus insistendum sit in habendis concionibus, si ille ex notitia confessionis sit responsurus?*

3^o *Quid de ALBERICO sentiendum?*

SOLUTIO :

760. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.*, secluso speciali revelationis periculo, et pœnitentium gravamine. Ratio est, quia *per se* nulla est confessionis manifestatio, nullumque incommodum pro pœnitentibus, nisi in casu particulari aliquis videatur designari. Sed doctrina communis semper doceri potest; secus enim Missionarius, multis auditis confessionibus, jam de nulla re loquit posset. *S. Lig. n. 654. — Elbel, n. 525. — V. Comp. n. 668.*

761. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.*, si agatur de loco angusto seu qui non constet tribus hominum millibus, secus si locus sit amplissimus : quia, in priori casu, facile potest intervenire odium Sacramenti ex gravamine pœnitentium; secus autem in posteriori casu. Cæterum facilius et convenientius resciet Missionarius ab ipso Parocho, de quibusnam populus cum majori fructu sit instruendus. *S. Lig. n. 654.*

762. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o ALBERICUS, Missionarius, uti potest notitia confessionis ad concionandum, adhibita tamen cautela, ne suspicionem hanc in auditores ingerat. 2^o Cavere debet ne, utendo notitia confessionis concionandi gratia, nimius sit. Cautius agat in angusta parochia, et præsertim in cœtibus religiosis valde exiguis. Licet autem auditio confessionum utilis sit ad concionandum, verum non est eam adeo necessariam esse. Nonne Confessarius in aliis locis, vel religiosis Communitatibus, sufficientem acquisivit experientiam, ut cum fructu prædicare possit, quin statim audiendis confessionibus vacare debeat?

CASUS VI.

QUID MISSIONARIUS DE SIGILLO 2^o.

URBITIUS, Missionarius, ex notitia confessionis narat quid sit talis regio, talis civitas vel pagus : « Hic, ait, regnat ingens morum corruptio, illic « mirabilis morum innocentia; alibi nullus jam adolescens in statu gratiæ « reperitur; ibi innumeræ confessiones generales fiunt, seu sacrilegæ « confessiones iterantur, alibi pauciores; *hodie in retibus meis captus est « piscis ingens, etc...* » Exponit Parochis quid de eorum parochia sentiat, quamvis cum parochianis non egerit nisi in tribunali Pœnitentiæ. Eos admonet ut invigilent juvenibus utriusque sexus, ne se mutuo pertrahant ad peccandum; nocturnos conventus aut alia hujusmodi impedire satagant, et mitius aut severius erga parochianos agant. Facilem etiam sermonem habet inter prandendum de numero et qualitate pœnitentium : « Hodie, ait, « hum! pinguem feci venationem! Hominem habui qui a triginta annis « non erat confessus; accessit amplissima matrona; vir specie externa « spectabilis; decem confessiones sacrilegas iterare debui, etc... »

HINC :

QUÆR. 1^o *An Missionarius ex notitia confessionis dicere possit quid sit talis regio respectu morum? quid talis civitas? quid talis pagus?*

2^o *An possit monere Parochos de vitiis et abusibus ex sola confessione cognitis?*

3^o *Quid de URBITIO dicendum?*

SOLUTIO :

763. — *R. ad 1^m Quæst. Neg.*, si locus sit satis angustus, v. g., si non constet tribus hominum millibus, *circiter*; secus, si oppidum sit valde amplum. Ratio est, quia, si sit locus angustus, licet tunc non reveletur

persona, revelatio tamen redundat in infamiam totius communitatis, et proinde cadit etiam in gravamen pœnitentis qui illius communitatis membrum est; et ideo ex tali revelatione confessio odiosa ei redderetur. Incommodum autem illud non invenitur, si de magna civitate agatur. *S. Lig. n. 654*, et alii communissime, contra paucos, quorum alii dicunt sigillum in nullo quantumvis angusto loco violari, et alii rigidiores qui dicunt ubique violari.

764. — *R. ad 2^m Quæ.* Generatim negandum est, ob imminens revelationis periculum, præsertim si loca et circumstantiæ particulares declarentur. Secus tamen, si parochia sit amplissima et defectus generales tantum manifestentur, in sensu distinctionis jam modo factæ. Verum, si agatur de vitiis generalibus tantum, numquid hæc a Parocho melius quam a Missionario non cognoscuntur? Quid igitur proderit manifestatio quam Missionarius Parocho faciet?

765. — *R. ad 3^m Quæ.* URBITIUS, Missionarius, in pluribus sigillum confessionis *indirecte* violavit, et in aliis imprudenter locutus est. Etenim periculo revelationis sacrilegæ se exposuit admonendo Parochos ut nocturnos conventus et alia similia impediunt, et dicendo aliquem non esse confessum a triginta annis, licet non nominetur, ob revelationis periculum, nisi parochia sit amplissima, vel pœnitentes ex aliis parochiis etiam confluent.

766. — Male etiam fecit loquendo de numero confessionum sacrilegarum quas iterare debuit, nisi locus sit amplissimus, ut modo dictum est. In cæteris nulla est sigilli violatio; sed non raro imprudentia, inutilis loquacitas necnon jactantia, quæ in viro apostolico in ædificationem non cedit. Præstat sane omnino silere de iis omnibus quæ in confessionibus excipiendis peracta sint, licet sigillum nulli periculo exponatur. Cave præsertim, o Missionarie, ne quidpiam dicas de auditis vel peractis quibuscumque in tribunali Pœnitentiæ in mediis Sacerdotum cœtibus, vel inter prandendum, præsertim coram muliere ad mensam ministrante.

CASUS VII.

COMPLICES CORAM EODEM CONFESSARIO.

Uno fatente, altero silente.

RANULFUS et FLORINA, sponsi, matrimonium mox contracturi, confitendi gratia ad LAMPRIIDIUM, Parochum, accedunt. Prior confitetur FLORINA, quæ, inter alia, peccatum cum sponso pluries patratum exponit. Succedit vice sua RANULFUS, qui, peracta confessione, absque ulla peccati supradicti mentione, absolutionem postulat. Anxius autem Confessarius interrogat tum generalius, tum particularius, urget et premit pœnitentem iterum iterumque negantem, et prior ipse torquendo torquetur. Quid miser? Si absolvat, horrendum sequitur sacrilegium; si dimittat, aperta sigilli violatio. In hac tanta animi perplexitate versanti, lux aliqua affulgere vide-

tur. RANULFUM inducit et repugnantem determinat ad unius diei dilationem prætextu majorem frugem ex Sacramento colligendi, sed revera ut a FLORINA etiam reditura licentiam de peccato communi cum sponso loquendi, caute petere possit. Insuper ad tantum incommodum in posterum præcavendum, firmiter statuit, quoties in sacro Tribunali sibi occurrent complices, a priori confitente prædictam licentiam postulare.

HINC :

QUÆR. 1^o *An possit postulari a pœnitente licentia loquendi de expostis in confessione, imprimis cum complice, et an expediat? Quid in casu nostro?*

2^o *An Confessarius possit vel debeat absolvere pœnitentem negantem peccatum, quod novit Confessarius intra confessionem?*

3^o *Quid de agendi ratione Confessarii?*

SOLUTIO :

767. — *R. ad 1^m Quæ.* Confessarius sane potest licentiam postulare a pœnitente ut utatur notitia confessionis tali vel tali modo, quia, cum sigillum confessionis in favorem pœnitentis constitutum sit, obtenta ab eo licentia, corrui hæc obligatio. Generatim vero talem licentiam a complice primo confitente raro petere expedit; nec debet præsumere Confessarius quod alter, confitendo, peccata sua celaturus sit: esset tamen aperta sigilli violatio, si Confessarius licentiam illam ab uno complice peteret postquam alter jam confessus esset; quia inde oriretur suspicio gravis quod hic peccatum suum non fuerit confessus. *S. Lig. n. 631. — Elbel, n. 454, et alii communiter.* — In casu nostro imprudentissime egit Confessarius, quia periculo proximo sigillum violandi se exposuit, quantumvis caute egerit.

768. — *R. ad 2^m Quæ.* Confessarius potest et debet, juxta plures, talem pœnitentem saltem sub conditione absolvere, si peccatum ex sola complices confessione noverit. *Ita Elbel, n. 453. Billuart, diss. 6, art. 10, § 2. — Gousset, n. 515. E contra S. Lig. n. 631, — Lacroix, n. 1969, et alii dicunt omittendam esse absolutionem, et ricitandam orationem aliquam ad ejus negationem celandam. Juxta omnes, non potest aperte negari absolutio, neque quidquam dici a Confessario, quod pœnitenti ingerat susceptionem peccati cogniti; quia Confessarius nequit uti notitia confessionis ad negandum Sacramentum alicui pœnitenti, ut patet ex dictis.*

769. — Confessarius igitur debet caute interrogare modo generali, sicut fecisset si complices confessionem non audivisset; non autem potest specialiter de illo peccato interrogare, nec debet esse nimis in interrogationibus generalibus repetendis, quia in hoc esset periculum revelationis. Si Confessarius rem extra confessionem ex aliorum relatione novisset, interrogare quidem posset pœnitentem; sed generatim ipsi credere potius quam aliis deberet. *V. Comp. n. 619.*

770. — *R. ad 3^m Quæ.* LAMPRIIDIUS male egit, ut patet ex dictis.

Debuisset igitur prudenter forma generali RANULPHUM interrogare, et negantem absolvere sub conditione : *si es dispositus* ; sic enim prospicitur tum reverentiæ Sacramenti, tum sigillo confessionis servando, et simul salutis pœnitentis, si forte in bona fide versetur. Neque frangitur sigillum per tacitam conditionem, cum nulla confessionis revelatio, nec ullum pœnitentis gravamen interveniat.

CASUS VIII.

LAICUS DE SIGILLO.

FERFELLIUS, nuperrime conjugatus, immediate post uxorem suam confitetur, et inter cætera dicit : « Pater, me miserum ! quid faciam ? Ecce ! modo audiivi uxorem meam se accusantem de fornicatione cum fratre meo patrata, priusquam mihi nupserit. Statui jam eam dimittere ; nolo illam amplius in uxorem agnoscere. » Confessarius, omnino obstupefactus, nescit prorsus quid ipsi respondere possit aut debeat, ne sigillum prodatur, et etiam ne falsum dicat. Ut autem e vadis emergat, pœnitentem acriter carpit ex eo quod confessionem uxoris auscultaverit. FERFELLIUS vero indignabundus recedit, et uxorem conviciis oppressam a se dimittit, cognatisque de divortio mirantibus, rem totam narravit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An FERFELLIUS in his graviter sigillum sacramentale violaverit?*
 2° *An obligatus fuerit non solum ad uxorem servandam, sed etiam ad debitum ei reddendum?*
 3° *Quid Confessario fuisset agendum?*

SOLUTIO :

771. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° FERFELLIUS graviter peccavit, confessionem uxoris audiendo, ut patet.

2° Graviter sigillum sacramentale violavit uxorem increpando, eam dimittendo, et ea quæ ex confessione audiverat aliis narrando. Ratio est, quia usus est notitia ex confessione sacramentali acquisita ad agendum externe, cum maximo uxoris gravamine, imo et ejus peccatum ex sola confessione cognitum directe revelavit. Ergo multipliciter legem sigilli violavit.

772. — *R. ad 2^m Quæst.* Nulli dubium esse potest FERFELLIUM obligatum fuisse ad habitationem cum uxore conservandam, quia non potuit eam dimittere quin ageret externe ex notitia confessionis, cum gravamine maximo mulieris. *Controvertitur* autem utrum obligatus fuerit ad debitum uxori reddendum. *Probabilius* negandum videtur. Ratio est, quia nunquam licet facere quod est intrinsece malum. Atqui habere copulam fornicatoriam cum uxore illegitima, seu ex invalido matrimonio sibi conjuncta, est quid *intrinsece* malum. Ergo, etiamsi cognoscatur aliquid esse tale, ex notitia confessionis, non licet id peragere, utpote intrinsece malum ;

esset enim formalis fornicatio. Deus autem per sigilli obligationem non potest velle id quod est intrinsece malum. Ergo reapse FERFELLIUS non tenetur debitum uxori reddere. *Lacroix, n. 1978.*

Aliqui dicunt Deum in hoc casu, ob sigilli reverentiam, concedere viro jus in corpus conjugis, non obstante matrimonii invaliditate.

773. — *R. ad 3^m Quæst.* Confessarius summopere cavere debuisset, ne verbis suis rei veritatem confirmare videretur. Non potuisset igitur ulla monita particularia pœnitenti præbere, ex quibus censeretur peccatum uxoris supponere. Sed, præmissa non adeo acri et vehementi objurgatione ex eo quod aurem uxori confitenti admoverit, dicere debuisset res plerumque male audiri quando submissa voce proferuntur, et insuper ipsi non licitum esse uti notitia ex confessione habita, etiamsi aliquam certo acceperit, quod tamen existimare non debet.

CASUS IX.

CONFESSARIUS A PŒNITENTE DECLINANS,

Ob incommoda ex præcedenti confessione cognita.

1° PASCHALIS, Religiosus, in Ecclesiam monasterii ad audiendam alicujus mulieris confessionem advocatus, et resciscens illam esse BERTAM, se excusat ab illa audienda, dicens tempus sibi deficere, seu aliquo urgenti negotio detineri; alia autem secreta ratione movetur. Cupisne scire quænam sit? Accipe. Alias eandem BERTAM jam audivit in confessione, et experientia novit eam esse admodum prolixam, morosam, tædiosam, imo et scrupulosam; quapropter tanto oneri se subtrahere satagit.

2° FAUSTINUS, Sacerdos, ad confessionem RUTILIÆ excipiendam accersitus, excogitato aliquo prætextu, se ab ea audienda excusat. Quare? Quia graves tentationes jam alias eam audiendo expertus est, et putat sibi periculosum esse si eam iterum audiat; nec existimat se teneri, cum propriæ animæ periculo, hujus mulieris confessionem excipere. Postea tamen timet ne sigillum confessionis violaverit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An Confessarius declinare possit confessionem alicujus pœnitentis, quia novit eum ex alia confessione esse intricatum, prolixum, aut male dispositum?*
 2° *An Confessarius se excusare possit ab audienda aliqua muliere, quia ex ejus confessione scit eam sibi esse periculosam?*

SOLUTIO :

774. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° *Neg.* quoties alii id animadverterent et in suspicionem de conscientia pœnitentis venirent. Item, quoties causam repulsæ suspicari posset ipse pœnitens, quia hoc cederet in ejus gravamen; posset enim id habere ut tacitam exprobrationem suorum peccatorum, aut sui modi confitendi. *S. Lig. n. 659. — Lugo, etc.*